



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1566 usque ad annum 1572

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118634

§. 81. Rupi - apensis pugna.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67213](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67213)

insuper sub idem tempus Andelotus uni-
ca Protestantium spes, atque Architha-
lasi Frater Mediolani - Santonum febre
extinctus est.

Sæcul. XVI.
A.C. 1569.

Demum Germaniæ Protestantes suo-
rum Fratrum, quo nomine appellabant
cunctos Franciæ hæreticos, cladem mi-
serati ipsis octo equitum millium sup-
petias submittebant, ductore Biponti-
no Duce, qui datis ad Franciæ Regem
litteris hanc agendi rationem, quam hac
in occasione teneret, excusare niteba-
tur, unico hoc usus obtentu, quod
Franciæ subditi propter Religionem ve-
xarentur, hinc veritatis amicos, imo
in eis ipsam quoque veritatem tueri
compelleretur: igitur ejus copiæ tra-
jecto Rheno Germaniam percurrerant,
cumque Ararim flumen transmisissent,
Charitæum ad Ligerim occupabant.

§. LXXXI.

Rupi - apensis pugna.

Denique post crebras ultro, citroque
cursitationes uterque exercitus si-
bi occurrens prælium inire cogebatur
in finibus Bearnensis, & Occidanæ Pro-
vinciæ prope oppidum, quod vulgo Ru-
pes - apis vocatur: porro ibi profligato
Andegavensi Duce ejus peditatus, cui
Strozzius imperabat, cum ingenti fra-
ge fusus, fugatusque est, ipso Stroz-
zius

Thu. l. 45.
Duplex p.
757.

Hist. Eccles. Tom. XLVIII. B b zio

Sæcul. XVI. zio Duce capto: huic tamen prælio
A.C. 1569. Wolfgangus de Bavaria Dux Bipontanus non intererat; postquam enim Vngennam transierat, Neffunii urbe tribus leucis Ratiasio distita morbo correptus ibidem in Ludovici Nassovii Comitis manibus exspiravit, nonnisi quadraginta tres annos natus, cum paulo ante obitum suorum Belliducum præcipuos ad bellum pro communi causa susceptum fortiter prosequendum hortatus esset, & Volradum Mansfeldium Comitem, qui illius legatus erat, summum armorum Ducem nominasset.

§. LXXXII.

Libellus supplicis a Calvinistis Regi porrectus.

Thm. l. 45. Quamvis Protestantes hanc victoriam reportassent, nihilominus belli laboribus fracti, ac pecuniis ad solvenda militum stipendia destituti ad Regem libellum supplicem mittere decernebant, in quo suæ causæ æquitatem exponere conantes repetita ibidem superiorum bellorum memoria, & rejecta omnium in Guisianos, & ceteros publicæ quietis hostes culpa, arma se pro conscientiarum libertate, vita, ac fortunis, quas ab illis peti aiebant, coactos sumpsisse testabantur, petebantque a regia clementia, ut liceret ipsis per
uni-